

mata sint, desinat in a; si inanimata, similis est nominativo. Reliqua suas habent observationes, brevitatis causa differendas.

Pro Tabella tertia. Declinatio tertia unam habet terminationem, ut patet, et quidem solius generis feminini.

Pro Tabella quarta. Declinatio quarta undecim habet terminationes, prout exprimetur, partim generis masculini, partim communis, et ultimam generis neutrius.

Pro Tabella quinta. Hujus, seu quintae, declinationis sunt adjectiva tantum masculina et neutra, et quidem non abbreviata, vel contracta (nam faeminina et apoco ata pertinent ad praecedentes, juxta terminationem). Qua trium sunt classium: ad primam classem pertinent adjectiva perfecta: ut suatji, suataja, suatoje. Ad secundam patronymica, possessiva etc. ut sinowii, quod ad filium pertinet etc. Ad tertiam, patria et gentilia, quorum masculina desinunt in skii, faeminina in skaja, neutrum in skoe, et per syncopen in sk, ska, sko, ut Rossisskii etc.

Has Tabellas propriam vendico, quas magno labore confeceram, etsi fundamentum aliquo ex dicta fusa grammatica desumpserim, sed valde mendosam, confusam, et pene usui nullius aptam.

Porro usus harum Tabellarum est iste: habita nominativi terminatione, quaero, quomodo desinat genitivus etc. inveno illius terminationem in secunda columella, dativi in tertia et sic deinceps.

Alter ordo exhibet dualem. Tertius pluralem, Atteadi semper debet, ad terminationes: primae enim in nominativo singulati, respondet prima in duali et plurali etc.

---